



R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Compectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu
transnaturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

VIII. Secunda pro distinctione virtuali intrinseca in rebus creatis ratio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95247](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95247)

duas illas denominationes tributam, tamen non diuersis, sed vni. Caterum hoc posterius falsum esse, omnibus neruis contendimus, ac denno contra aduersarios probamus: siquidem, vt actus contritionis amet, odioque habeat, iuxta ipsos opus est, vt æquiualeat diuersis actibus in ratione amoris, & odij: vt ergo eas separet, & non confundat, opus est, vt eorum distinctioni æquiualeat, siue, vt sit instar distinctorum actuum, non solum in ratione amoris, & odij, sed etiam quoad eorum distinctionem. Ast æquiualeat diuersis actibus, non tantum quoad eorum entitates, & quidditates, sed etiam penes eorum distinctionem realem, est distingui virtualiter, ac perinde recipere prædicata contradictoria, ac ea admittunt actus realiter distincti: actus ergo contritionis virtualiter multiplex, & prædicatis contradictoriis obnoxius est hoc ipso, quod diuersas denominationes impermixtas conferat. In summa; talis æquiualentia, qualem aduersarij concedunt, facit quidem, vt actus contritionis possit amare simul, & odisse, quod nos vltro largimur: non verò, vt possit idem obiectum amare, & non odisse, aut conuersum, quod tamen solum inficiamur, quodque totius inter nos, & ipsos controuersia caput est.

114 Vltius quintò: æquiualeat illa, ratione cuius actus contritionis quantumlibet idem virtualiter, ac nulli prædicatorum contradictioni subiectus, par tamen sit amoris, & odio realiter distinctis, omnino repugnat, cum contineat eiusdem actus similitudinem, ac dissimilitudinem respectu diuersorum. Tandem eiusmodi fictitia æquiualentia distinctionis virtualis experts, ab eaque seiuncta non potest facere, ne odiu terminetur ad Deum, & amor ad peccatum: imò quatenus excludit distinctionem virtualem, vtramque formalitatem ita terminari postulat: non ergo potest facere, ne Deus odio, & peccatu amore vi actus contritionis habeatur: quin imò hoc amari & illum odio haberi necessario exigit.

115 Alia deniq; nostri argumenti solutio esse potest; propterea actu contritionis amare, & odisse aliud, aliudque obiectum, & has denominationes minime confundere, quia in eo amor, & odium distinguuntur ratione, seu consideratione nostra, sin minus formaliter, ac certè fundamentaliter: proinde opus non esse distinctione virtuali cum contradictione prædicatorum coniuncta. Contra tamen primò: quia duæ vltimæ impugnationes superioris solutionis aduersus hanc etiā faciunt, vt eas applicanti perspicuum erit. Contra secundò: amor contritionis distinguitur fundamentaliter ab odio in eo imbibito: ac odium non distinguitur ratione fundamentaliter à seipso, quemadmodum cognitio, v. g. à semetipsa, siue à representatione, ita non distinguitur: amor ergo, & odio realiter indistinctis prædicata contradictoria conueniunt, ac proinde virtualem admittunt distinctionem. Atque hætenus primum pro ea argumentum.

CAPVT VIII.

Secunda pro distinctione virtuali intrinseca in rebus creatis ratio.

116 **A**lbedo exempli causâ considerari potest, vt est effectus Dei essentialiter pendens ab illo, & vt est causa suorum effectuum, nimirum disgregationis visus, & similium: sed hæc duplex habitudo, altera effectus ad suam causam, & maxime primâ, altera causæ ad suos effectus in albedine virtualiter distinguuntur, ac prædicata contradictoria suscipiunt: potest enim percipi sensu materiali, tã interno, quàm externo albedo, quatenus est disgregatiua visus, & sub habitudine causæ ad effectum (hæc enim est essentia albedinis, quæ citra

dubium ita est perceptibilis) quin materialiter percipi possit, quatenus est pendens à Deo, & vt subest primæ habitudini effectus ad causam: duplex igitur illa habitudo albedini inlita prædicata contradictoria recipit. Antecedens quoad primam eius partem est manifestum: quoad secundam probatur: non potest clarè, distinctè, & intuitiue percipi dependentia à causa prima, siue habitudo ad illam, quin causa ipsa prima percipiat: sed causa prima sensu materiali, seu corporeo interno, aut externo diuinitus etiam percipi nequit, vt Theologi omnes nemine excepto veluti certum, & exploratum tradunt: dependentia igitur illa radicalis à causa prima, siue habitudo ad illam à sensu materiali albedinè percipiente percipi nequit.

117 Dices primò: visû albedine videri implicite, & confusè tantum dependentiam eius à causa prima: ad quod opus non est, vt causa ipsa prima percipiat: quo pacto, qui visû procul animali implicite, & confusè rationalitatem ei inexistenter attingit, non propterea percipit discursus, quos rationalitas essentialiter respicit. Contrà tamen sic argumentor: ideo intellectus eleuari potest ad clarè Deum videntem, cum tamen sensus materialis ad claram eius visionem, ne diuinitus eleuabilis sit, quia intellectus folis naturæ viribus implicite, & confusè percipit Deum, quem tamen sensus materialis nequitam naturaliter attingit, sed visus materialis conspecta albedine, eius à Deo dependentiam essentialiter implicite, & confusè attingit, vt hæc solutio largitur, nec denegare potest: igitur visus materialis diuinitus eleuari potest ad clarè, & explicitè percipiendam dependentiam illam à causa prima, adeoque ad percipiendam ipsam causam primam, quod tamen repugnat.

118 Dices secundò, nostro argumento concludi albedinem, vt albedo est, ac disgregatiua visus, visu materiali percipi non posse: namque, si quando percipitur disgregatiua visus: ergo clarè percipitur ipsa disgregatio in actu secundo, sicut habitudo ad illam: sed disgregatio in actu secundo tam est extra latitudinem obiecti potentia visua, quàm Deus: tam enim non est color, aut lux, quàm Deus, nec ista, nec ille est: tam igitur est imperceptibilis visu corporeo, quàm Deus; ex quo etiam fit, habitudinem ad illam æquè esse inuisibilem oculo corporeo, ac illo Deus visibilis non est, si quid nostrum argumentum valet, aut concludit: nihil ergo valet, nihil concludit.

119 Respondeo: visus corporeus semper percipit de facto, vt aiunt, albedinem cum aliqua confusione, quam secum fert eius materialitas, & imperfectio, atque adeo quamvis ab eo percipiat albedo vt albedo est, siue vt essentialiter disgregatiua visus, non tamen ab eo percipitur ipsa disgregatio, quæ est illius habitudinis radicalis terminus: quod autem vltius inferri potest saltem eleuari posse visum, vt disgregationem in actu secundo percipiat, nihil habet incommodi, quia disgregatio in actu secundo est ipsa visio materialis, non quæcumque, sed quæ maiori confusione, & imperfectione prædita est, quàm qua communiter alia visiones pollent: at visio non est extra latitudinem obiecti potentia visua, sicuti Deus: ergo nec disgregatio in actu secundo, ac proinde ad hanc percipiendam absque vilo incommodo visus supernaturaliter euehi potest: maior est perspicua: minor suadet, tum, quia de facto multi censent, visionem esse reflexiuam supra seipsam, tum etiam, quia negantes reflexionem illam de facto, de possibili tamen illam concedunt: & merito: quandoquidem visio rationem formalem sub qua potentia visua nimirum visibile constituitur, eiusque quodammodo est obiectum.

Dices terriò: quævis formalitas albedinis seipsa est

est creatura: se igitur ipsa dicit habitudinem ad causam primam, à qua pcedere, & produci possit: ac proinde perpetam hanc habitudinem à reliquis candori infitis virtualiter distinguimus. Respondeo: vt quæuis formalitas albedinis sit absolute creatura, sufficit, vt realiter identificetur cum alia, merito cuius à Deo produci, & pendere possit, ac postulet: at nos hanc identitatem non negamus, sed potius supponimus.

121 Dices quartò: si, vt superius asseruimus, dependentia radicalis candoris à Deo, eiusque vis disgregatiua visus, ita instituta essent, vt altera foret sensu corporeo imperceptibilis etiam diuinitus, altera verò sensibilibus, ac visibilis, profectò altera esset spiritalis, altera corporalis: vt enim communiter docent Patres, & cum eis scholastici, essentia rei spiritalis, eiusque character proprius est esse inuisibilem, siue insensibilem, corporalis verò esse sensibilem. Vnus pro omnibus sufficit August. lib. de Magistro, cuius hæc inibi sunt verba. *Namque omnia, quæ percipimus, aut sensu corporis, aut mente percipimus; illa sensibilia, hæc intelligibilia, siue, vt more auctorum nostrorum loquar, illa carnalia, hæc spiritalia nominamus.* Quæ cum ita sint; vis disgregatiua visus, & dependentia radicalis à Deo in candore non poterunt non realiter distingui, siquid nostrum valet argumentum: res enim spiritalis nequit non esse distincta verè, ac realiter à re corporali, nihilque euidentius, quàm spiritum, & corpus identitatis realis esse expertia: quo ergo vsi sumus argumentum, nec distinctionem virtutalem potissimè intentam probat, nec non etiam rem satis absurdam, & improbabilem probat, videlicet distinctionem realem graduum, ac proinde duplici ex capite est reiiciendum.

122 Huic instantiæ respondeo imprimis, probabile esse candori formalitatem aliquam quodammodo spiritutalem inesse, & haud adeo dissidere spiritualitatem, & corporalitatem, vt nunquam possint eidem rei conuenire, sicut etiam rationalitas, & sensibilitas per identitatem in nobis coalescunt. Verum de hoc ex professo inferius lib. 6. tract. 1. Respondeo secundò, independentem ab eo principio paucis fortasse placituro, dependentiam illam radicalem candoris à Deo, tamen si insensibilis immediatè, & proximè tamen media alia formalitate secum realiter identificata sentiri posse, ac videri, ac proinde absolute esse sensibilem, ac visibilem, nullam ergo subesse rationem, propter quam spiritalis dicenda sit, aut existimanda. Quæ solutio declarari, & confirmari potest hunc in modum: substantia lapidis, v. g. est materialis, & tamen non est visibilis, sensibilibus, nisi mediis accidentibus à se realiter distinctis, & in se susceptis: ergo à fortiori, quod aiunt, vt dependentia radicalis candoris à Deo sit materialis, satis erit, vt sit sensibilis media vi disgregatiua visus secum in eodem candore realiter identificata, & virtualiter tantum diuersa.

123 Dices quintò: non ideo intellectum potius, quàm sensum corporeum euehi posse supernaturaliter ad clarè Deum videndum, quia intellectus eum ex natura rei, & citra miraculum confusè attingit, secus verò sensus; quod tamen est à nobis hætenus suppositum, quodque totius argumenti nostri videtur esse puppis, & prora: namque etiam aqua ad Sacramentum eleuata producit physicè gratiam, quam tamen naturaliter non attingit: quod ergo sensus materialis naturaliter non percipiat etiam confusè Deum, atque quoad hoc differat ab intellectu, haudquaquam arguet hunc potius, quàm illum euehi posse ad claram Dei visionem: Item secundò: claritas corporum gloriosorum fortasse est lux intrinsece supernaturalis, idque absque ulla hæsitacione docent

R. P. Richardi Lyncei, Philosoph. Tom. III.

Scotus in 4. dist. 49. quæst. 15. Suarez, Salas, & alij: sed eiusmodi claritas percipitur sensu corporeo: hic ergo euehi potest ad attingendum quidpiam à se naturaliter imperceptibile: quod ergo non percipiat ex natura rei Deum, quem tamen ita cognoscit intellectus, argumento esse nequit discriminis inter vtrumque quoad miraculosam, & supernaturalem Dei perceptionem.

124 Respondeo: aliud est quætere, cur possit intellectus eleuari ad Deum clarè videndum, aliud, cur nequeat sensus vllus corporeus ita euehi: Huius posterioris ratio sufficiens fortasse non est ea, quæ reiecta est, nimirum quòd Deus sit extra latitudinem obiecti connaturalis corporalium sensuum, idque, & inferius lib. 6. tract. 2. c. 1. constabit ex professo, & duplici coniectura facta satis liquet in presenti. At prioris sufficiens, cumulataque ratio est, quæ à nobis tradita, & à plerisque recepta: vt enim paulò infra perstringetur, Deum clarè ab intellectu nostro diuinitus conspici siue clarè, & intuitiue cognosci, vnde potest repugnare hoc ipso, quòd naturaliter Deum cognoscamus confusè & per speculum, & in ænigmatibus: non quidem ex obiecto ea potest proficisci repugnantia, cum Deus absolute contineatur intra latitudinem obiecti nostri intellectus: non ex modo tendendi clarè, & intuitiue, cum multa intellectu intueamur, & clarè, ac luculenter perspiciamus: hæc autem ratio non procedit in sensu vllò corporeo. Porro rationem posterioris rei, videlicet incapacitatis corporei cuiusvis sensus ad eleuationem, de qua est sermo, est abs re, nec nobis officit: satis enim habemus, si prius illud rectè probatum sit, scilicet intellectus nostri aptitudo ad Deum supernaturaliter intraendum, & clarè cognoscendum: Huiusmodi enim probatio, siquid valet, certè fiet, vt dependentia essentialis albedinis à Deo, ipsa, eiusque visus nostri disgregatiua percepta percipiantur saltem confusè, & implicite, quæ est iuxta aduersarios harum formalitatum virtualis indistinctio: fiet etiam exiguo deinde vestigio eleuari posse visum nostrum, vt eam dependentiam clarè, & explicite attingat, adeoque Deum ipsum illius terminum; quo quid absurdum? Adice, non paucos etiam aduersarios in ea esse sententia, vt existiment, & intellectum posse euehi ad Deum videndum, quia naturaliter eum percipit, & sensum ita eleuari non posse, quia sic illum ex natura rei non cognoscit: in horum ergo principiis, qui potest esse contra nostrum argumentum calumniæ locus?

125 Quidam etiam recentiores ei tripliciter occurrunt: Primò sic: visus corporeus iuxta nostram sententiam percipiens colorem, tamen diuinitus eleuari nequit ad percipiendam dependentiam illam radicalem à causa prima cum eo realiter identificatam: multò ergo minùs percipiens eiusmodi dependentiam radicalem propterea poterit, aut debet eleuari, vt obiectum ab ea realiter distinctum, nempe Deum percipiat: Secundò ita: facultas aliqua cognoscens obiectum suum non ideo debet eleuari posse, vt illud quouis modo cognoscat, & in ordine ad quæuis connotata: intellectus enim noster cognoscens immediatè Deum nequit eleuari ad eum comprehendendum, siue, quod perinde est, cognoscendum in ordine ad omnia sua connotata, omnesque creaturas, quas eius omnipotentia, scientia, bonitas, & reliquæ proprietates respiciunt: Item visus noster cernens colorem nequit euehi, vt eum discurrendo, aut intelligendo percipiat: cur ergo visus corporeus cognoscens dependentiam albedinis à Deo eleuari proinde possit, vt eam dependentiam in ordine ad Deum, & quod consequens est, in illa Deum ipsum attingat: Tertiò sic: cognoscere colorem,

calorem, eiusque dependentiam à Deo, cognoscendo in tali dependentia Deum est modus cognoscendi proprius facultatis spiritualis, & intellectiuae, ideoque ad eum oculus corporeus euehi nequit, quantumvis colorem, omnemque eius dependentiam essentialē, utrumque attingat, ac percipiat.

126 Primum horum facile refellitur: nam cum hominem aliquem procul cernimus, & à bellua non discernimus, iuxta plerumque aduersariorum sententiam animal cognoscitur explicitè, & ex parte modi, ut aiunt, non cognito explicitè, & ex parte modi rationali ab eo realiter indistincto, quamuis iuxta ipsos utrumque implicite, & ex parte obiecti cognoscatur: nihilominus tamen multa realiter distinguuntur, quorum alterum cognosci nequit explicitè, & ex parte modi non cognito similiter altero: verbi gratia, animal, siue principium sentiendi non cognitis ipsis sensationibus: aut Pater non cognito Filio, &c. licet ergo in nostra sententia albedo sine dependentia à Deo secum realiter identificata possit cognosci sensu corporeo, imò non possit etiam diuinitus non cognosci sine illa, ipsa tamen dependentia sine Deo, à quo reipsa distinguitur, nullatenus poterit attingi.

127 Deinde secundò: supposita distinctione virtuali vnius formalitatis ab alia, cognitio vnius ne diuinitus eleuari potest ad cognoscendam aliam semel non cognitam: eius enim essentia variari nequit: similiter ergo potentia visiva, etiam si attingat albedinem, euehi nequit ad dependentiam aliquam ei essentialē percipiendam: hac autem ratio non procedit in dependentia comparata cum Deo: eam enim nulla cognitio distinctè, & clarè attingit, quae non eo ipso Deum percipiat: relatiua namque, iuxta Aristotelem, & omnes philosophos, sunt simul cognitione.

128 Praeterea tertio: multa magis vnita physice, minus tamen vniuntur, & connectuntur intentionaliter, siue in cognoscendo, necnon etiam è conuerso: quantitas enim, qualitas, vbicatio, & duratio hominis, verbi gratia, vniuntur in toto illo, cuius sunt accidentia: & tamen in cognoscendo non connectuntur propter id, quod possumus cognoscere quantitatem hominis sine eius qualitate, & hanc sine illa, & utramque sine eius duratione, & vbicatione, & harum alteram sine altera: contrà verò cognitio, & obiectum, Filius, & Paternitas, si modi sint, & innumera alia relatiua, non solum realiter distinguuntur, sed etiam physice non vniuntur: & tamen intentionaliter, & in cognoscendo connectuntur: quamuis ergo vniatur magis albedo cum dependentia à Deo, quam cum hoc illa, & hic identitas realis, illic distinctio intercedat, poterit tamen non connecti intentionaliter, & in cognoscendo albedo cum dependentia à Deo, quin inter Deum ipsum, & dependentiam ea connexio desit, sed potius adsit: sic ut dependentia absque Deo nullo visu, nullo intellectu clarè percipi queat.

129 Rursus quattò: quando aiunt aduersarii iuxta nostram sententiam visum corporeum percipere colorem, quin dependentiam ei essentialē, etiam diuinitus percipere possit, haud à nobis absolute dictum est, haud etiam fortasse verum. Quod enim diximus tantum fuit, dependentiam coloris à Deo visui corporeo, nec supernaturaliter, si de notitia explicita, & clara sermo sit, nec naturaliter, si de implicita etiam, & obscura, posse obijci: illud siquidem prius ex hoc posteriori sequeretur, adeoque Deum materialiter cerni posse fieret. Ceterum nusquam, & nunquam asseruimus, non posse diuinitus, & miraculose dependentiam illam coloris à Deo nostri corporis oculis cerni,

& attingi actu aliquo confuso, & obscuro; ac forsitan sine veri iactura id asseri nequit: quidam enim diuinitus, & supernaturaliter ea dependentia possit videri, ac sentiri confusè: eius namque clara visio, siue sensus Deum vna attingens, non ex visione confusa, & supernaturali ipsius, sed ex naturali, & ordinaria colligi potest, sicuti Deum clarè cognosci posse ab intellectu nostro, non nisi ex ipsius naturali cognitione communiter infertur.

130 Quamuis autem dependentiam candoris à Deo per miraculum cerni posse visu corporeo, confuso quidem, & obscuro illo, & à nobis hactenus reiectum non sit, & à vero non procul abesse videatur, quæres tamen, quid circa hoc absolute dicendum sit: Respondeo, talem dependentiam per eleuationem miraculosam cerni non posse visu materiali etiam confusè, & obscure. Primum, quia sequeretur, visum corporeum euehi posse, ut eam dependentiam etiam clarè percipiat, ac proinde Deum ipsum: namque facta ea hypotheti, dependentia non est extra latitudinem obiecti potentiae visivae: modus etiam attingendi, nimirum clarè, & intuituè non superat eius perfectionem: cur ergo diuinitus talem dependentiam clarè non attingat? nec enim ex parte obiecti, nec ex parte modi id repugnat: quo quidem argumento probari consuevit, & à nobis probatum est fore, ut visus per miraculum eleuatus eam dependentiam clarè videre posset, si eam naturaliter attingeret. Deinde, quia ubi semel visus noster extolli possit ad dependentiam candoris à Deo obscure percipiendam, difficile defendi poterit, repugnare visum aliquem corporeum alterius ordinis, qui etiam naturaliter percipiat eiusmodi dependentiam, confusè quidem, & obscure: at talis visus haud dubie eleuari posset ad eam clarè percipiendam, & in illa Deum. Postremum, quia intellectus noster cognoscens naturaliter habitudinem aliquam Deo essentialē, qua v.g. Angeli productius est, haud propterea euehi potest ad omnem habitudinem Deo essentialē, respectumque ad omnia sua connotata cognoscendum etiam confusè, & imperfectè, aliàs, ut paulò supra dicebamus in simili, ulterius eleuari fortasse posset ad omnem eiusmodi habitudinem clarè cognoscendam, adeoque ad comprehensionem Dei iuxta huius vulgaritatem, ac passim receptam explicationem, similiter ergo tametsi visus noster naturaliter attingat albedinem, eiusque vim disgregatiuam visus, non propterea poterit eleuari ad percipiendam etiam confusè quamuis habitudinem essentialē cum priori realiter identificatam, adeoque dependentiam candoris à Deo optimo, maximo.

131 Quod autem secundò opponitur, est vulgaris, & ab omnibus merito improbata obiectio contra commune argumentum probans intellectum, non visum materiale euehi posse ad clarā, & intuitiuā Dei notitiam, eo, quòd intellectus, non visus Deum naturaliter attingat. Ea autem sic strui assolent: si intellectus noster præ visu corporeo eleuari posset ad clarè cognoscendum Deum, eo, quòd hic sit intra latitudinem obiecti connaturalis illius, aliunde verò modus ille percipiendi clarè, & intuituè haud sit supra eius perfectionē, cum plura alia ita percipiat, certè exinde fieret, Deum à nobis posse supernaturaliter cōprehendi: quandoquidē eum inferiori cognitionis genere naturaliter attingit, aliaque obiecta inferiora Deo comprehendit, planè ut nec obiectum tantum, ac tale, nec modus etiam cognoscendi comprehensiuus sit ultra sphaeram, & perfectionem potentie intellectiuae. Consequens autem hoc cum sit absurdum, haud videtur sustinenda ratio, ex qua deducitur. Ceterum quòd hac doctrina sinistrè ab aduersariis accommodetur, &

& ipsis obsit, ac nobis proffit, hunc in modum suadeo. Idcirco nequit intellectus noster euehi supernaturaliter ad Deum comprehendendum, eumque in ordine ad omnia sua connotata explicitè referendum, quia naturaliter non attingit omnem habitudinem essentiali Dei ad omnia connotata, quæ respicit: quod si eam ita cognosceret, ad eam clarè, & explicitè cognoscendam, Deique adeo comprehensionem, vt communiter explicatam proculdubio posset eleuari: si ergo, vt censent aduersarij, visus corporeus naturaliter percipit dependentiam essentiali albedinis à Deo, profectò poterit euehi, vt illum explicitè, & in ordine ad Deum percipiat, ac proinde Deum ipsum non prætereatur.

132 Et quidem vt instantia aduersationum esset momenti, oporteret, aut ab ipsis probari, aut à nobis vtrò supponi, quod in hac vita intellectus noster cognoscat naturaliter omnem habitudinem Deo essentiali, quo nimirum inde inferre possent non posse euehi visum corporeum ad cognoscendam dependentiam à Deo clarè, & in ordine ad ipsum Deum: haud aliter, ac intellectus cognoscens naturaliter omnem habitudinem Deo essentiali, eleuari tamen nequit ad omnem clarè, & in ordine ad cuncta sua connotata cognoscendam, sicuti ad Dei comprehensionem oportet. Sed hoc, nec à nobis donatur, nec ab aduersariis argumento extorquetur villo.

133 Quod autem ad exemplum discursus oculo corporeo impossibilis atinet, non est mirum, quod discursus potentie non discursus nulla vi, etiam supernaturali conuenire queat: quemadmodum etiam supernaturaliter fieri nequit, vt lapis discurrat. Hoc autem, quid ad nostram rationem, qui solum contendimus, quod à potentia aliqua naturaliter cognoscitur, non sine aliqua obscuritate id ipsum ab ea miraculose cognosci posse, clariùs quidem, & explicitiùs eo cognitionis genere, quod circa alia obiecta ei non repugnat. Et verò hæc doctrina, & pe se manifesta apparet, & exemplo liquet intellectus eleuabilis ad Dei claram visionem hoc ipso, quod eum naturaliter, & obscurè intelligat. Cum ergo visus corporeus dependentiam candoris à Deo naturaliter percipiat iuxta aduersarios, tamen imperfectè, confusè, & obscurè, cur eiusmodi imperfectio perfici, confusio distingui, & obscuritas declarari diuinitus nequeat?

134 Quod vltimo loco obicitur abs re est. Aliud enim est, an repugnet visum corporeum euehi ad Deum percipiendum: aliud, an hoc minime sequatur ex eorum sententia, qui formalitates distinctas candori denegant. Illius prioris, quod extra litem est, rationem aliquam afferunt: secus verò huius posterioris, quod solum controuertitur.

CAPVT IX.

Tertia pro distinctione virtuali intrinseca in rebus creatis ratio.

135 Quam desumo, non ex similitudine, & dissimilitudine hominis, v.g. cum equo, sicut Scotus argumentatur, quemadmodum visum est suprà tract. 3. cap. 4. sed paulò aliter ex maiori similitudine hominis cum homine, quàm cum equo. Ergo si homo non cohiberet formalitates virtualiter distinctas, esset secundum omnes verè similis equo: at nequit esse secundum omnes suas formalitates equo similis: continet igitur formalitates virtualiter distinctas, quarum alie sint similes, alie non similes equo.

R. P. Richardi Lyncei, Philosoph. Tom. III.

Maior probatur, quia homo secundum aliquas formalitates est similis equo: sed illæ iuxta aduersarios sunt etiam virtualiter indistinctæ à reliquis: ergo circumscripta distinctione virtuali, formalitates omnes hominis equo similes erunt. Minor probatur: quia, si homo secundum omnes formalitates esset similis equo, homo homini, quàm equo similior non esset, sicut, si aliquid sit idem realiter cum alio conceptu secundum omnes suas partes, nequit esse magis idem realiter cum villo alio conceptu: vnde Petrus habet summam identitatem realem cum hoc homine, nec cum alio eam maiorem fortiri potest, quæ realiter identificatur cum hoc homine secundum omnes suas partes: quod si produceretur alius homo eiusdem materie cum Petro, alterius tamen animæ rationalis, non haberet cum illo Petrus summam identitatem realem, quæ non daretur alia maior, nimirum, quia non esset idem realiter cum illo secundum omnes suas partes, sed penes vnā solam.

136 Confirmatur primò: nequit quantitas molis habere æqualitatem cum alia secundum omnes suas partes, & non habere cum illa summam æqualitatem, quæ maior dari nequeat: si enim medietas huius quantitatis est æqualis medietati alterius, & tertia tertiæ, & quarta quartæ, & sic de reliquis vtriusque partibus, sanè tota vna quantitas alteri toti summè æqualis erit, vt manifestissimum est: nequit igitur quantitas perfectionis, & entitatis habere similitudinem cum alia secundum omnes vtriusque formalitates, quin illa similitudo sit summa, & qua non reperitur alia maior: exclusa autem distinctione virtuali, homo est similis equo secundum omnes vtriusque formalitates: ea ergo seclusa habebunt summam similitudinem, & qua nequeat reperiri alia maior, aut strictior.

137 Confirmatur secundò: eo ipso, quod aliquæ res durent in toto aliquo tempore determinato secundum omnes partes illius, ita vt nulla sit, in qua non durent, nequit alia res magis durare, facta solum comparatione ad illud tempus: (& par est ratio vocationis in ordine ad locum:) igitur etiam eo ipso, quod indiuiduum vnius speciei sit simile indiuiduo alterius secundum omnes formalitates vtriusque, illa similitudo necessariò summa erit: sed seclusa distinctione virtuali indiuiduum speciei humanæ assimilatur indiuiduo speciei equinæ secundum omnes formalitates: summa igitur vtriusque similitudo intererit. Consequens est absurdum: ergo & illud, ex quo sequitur.

138 Huic argumento, quod à paritate obieciimus, obieciens primò: æqualitatem consistere in indiuisibili, nec in ea respectu eiusdem esse magis, & minùs, quia esse duo æqualia, est, vnum tantum esse quantum est aliud, à quo, si quidpiam tollas, totum sustuleris, ac identitatis, vocationis, & durationis parem rationem esse; similitudinem verò in indiuisibili non consistere, ac proinde optimè stare, omnes formalitates Petri similes esse Bucephalo, haud aliter, ac Paulo, Petrum tamen esse similiorem Paulo, quàm Bucephalo, eo, quod eadem formalitates Petri, Paulo magis, & perfectiùs, Bucephalo verò minùs, & imperfectiùs assimilantur.

139 Sed enim hæc instantia principium repetit. Id enim interrogamus, cur esse vnum tantum, quantum aliud, in quo æqualitas sita est, in indiuisibili consistat, non verò esse vnum tale, quale est aliud, in quo similitudo elucet? Deinde Aristoteles, metaph. in solo fundamento,